



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**ECCLESIASTICAE || DISCIPLINÆ || LIBRI SEX: || DE  
CANONICA ET MO- || nastica Disciplina collapsa  
restau- || randa, pristinoque nitori || restituenda. ||**

**Schulting, Cornelius**

**Coloniae Agrippinae, 1599**

**VD16 ZV 14233**

23. De disci. noui testamenti ac primo ex Eua[n]gelistis

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63372)

pra à cap. tertio hucusque commemorata sunt  
 æquitas & iustitia elucescat. hinc dicitur ca. 18. v.  
 7. nec quicquam fuisse, quod pudorem adferret  
 cuiquam in ea terra id est Laïchi omnia licere &  
 nihil esse turpe apud eos præ licentia, Rempubl.  
 non rege sed alternante magistratu regi.

## CAPVT XXIII.

De Disciplina noui testamenti, ac primò paucè de  
 Disciplina ex Euangelistis.

*Christus per  
 petuò corri-  
 puit vitia  
 Iosephus A-  
 costa de Chri-  
 sto Reuelato  
 li. 7. c. 11. &  
 lib. 8. ca. 28.  
 pag. 346.*

**M**atthæi 3. Lucæ 3. Marci 1. ca. Cuius ventila-  
 brum in manu eius & purgabit aream suã,  
 Christi iudicis iustum iudicium & disciplinam  
 significat. Area est Catholica Ecclesia, in qua pa-  
 læ cum tritico id est, mali cum bonis permixti  
 sunt horreum est regnum cœlorum, purgat au-  
 tem aream suam per tribulationem disciplinæ  
 vt Origines explicauit. Ventilabrum est potestas  
 iudiciaria Disciplinæ. Matthæi cap. 18. & Luc. 17.  
 ca. gradus & ordo Disciplinæ in correptione fra-  
 terna ostenditur. notus est satis iste celebris lo-  
 cus, lege in dum locum Commentaria Cornelij  
 Iansenij & Baronium Tom. 1. Annalium Matthæi  
 3. Lucæ 3. Marci ca. 1. Securis ad radicem arboris  
 posita per securim disciplina & vindicta Dei si-  
 gnificatur, qua steriles in bonis operibus perden-  
 di, securis ramos vitiorū amputat sic Luc. 13. ficus  
 sterilis plantata in vinea non ferens fructus ab-  
 scinditur. Omnis, n. arbor quæ non facit fructum  
 excinditur & in ignem mittitur, & comburitur.

Lucæ

Lucæ 1. cap. in cantico Zachariæ. quia visitauit nos oriens ex alto. Visitare in malam & bonam partem capitur. In malam pro punire, castigare, vindicare, vt Psalm. 88. Visitabo in virga iniquitates eorum. In bonam partem est se memorem declarare eosque beneficijs afficere, qui prius ab eo neglecti visi sūt habiti. Exod. 3. c. Visitas visitaui vos.

## CAPVT XXIV.

*De Disciplina noui testamenti ex epistolis Paulinis.*

**B** Hieronymus in Procemio in epistolam ad Ephesios. Paulus per singulas epistolas medetur vulneribus Ecclesiarum illatis, nec imperiti medici more vno collyrio omnium oculos vult curare. Iuxta hanc igitur sententiam B. Hieron. epistolæ Paulinæ maiori ex parte sunt morales & disciplinales. Apostolica Disciplina fuit peccata redarguere. Act. 2. 3. 4. 7. 8. 13. 2. Timoth. 4. Increpa oportunè & importunè argue tempestiuè ad Tit. 2. Argue cum omni studio præcipiendi. 1. Cor. 4. Quid vultis cum virga ad vos veniam? an cum charitate & spiritu lenitatis. In taxandis peccatis ad vitia communia respexerunt Apostoli. Paulus Galatas vocat stultos, quia fuit commune gentis vitium teste B. Hieronymo. Cretenses mendaces & pigros ventres ad Titum 1. c. Romanos ab arrogantia dehortatur, ne supra de se sentiant quam oportet Romanorum ca. 12. De disciplina suscipienda. ca. 12. ad Hebræos totum agit. Quis est filius quem non castigat pater &c. Rom. 13. Prælati non sunt